



Stech-
flechte!



7.
8
9.
10
11
12.
13
14
15
16
17
18
19
20

1 Weismanni f. Christ. Erbsh. f. iusta rationes
collectionis Canonice Scripturarum
Sacrarum, contra modernas quasdam
objectiones vindicatio, Tubingae
1737.

2 Specimen Magni Nichilii in rebus
vestri religionis, Tubingae 1739.

3 Diff. de veritate divina, fuerit
sicut expulsa, tamen usque recurrit
Tubingae 1740.

4 Varia Sacra, Tubingae 1738.

5 Renovata exceptioes contra
divinam institutionem Baptismi et
3. Ceneri Tubingae 1736.

Responsiones Speciales ad Georgii
Bulli objectiones de justificatione
fidei, Tubingae 1733.

t. 9
VARIA SACRA,
SEU
DOCTRINÆ
DIVERSI GENERIS,
QUAS
DEO JUVANTE,

PRÆSIDE
CHRISTIANO EBERHARDO
WEISMANNO,
SS. THEOLOGIÆ DOCT. ET PROF. ORDIN.
ECCLESIAE TUB. DECANO, ET DUCALIS
SEMINARII SUPERATTENDENTE,

Ad D. Mensis Mart. A. R. S. MDCCXXXVIII.

PUBLICÈ VENTILANDAS PROPONENT

RESPONDENTES

M. WILHELMUS FRIDERICUS SPÆTH, *Schiltacenfs.*

M. JACOBUS GEORGIUS THILL, *Brackenheimensfs.*

SS. Theol. Studiosi & Seren. Stipendiarii.

~~~~~

TUBINGÆ,

LITERIS JOSEPHI SIGMUNDI.

VARIA SACRA,

DOCTRINAE

DIVERSI GENERIS

LEO JUANNE

CHRISTIANO DE RICHARDO

WERNERIANO

ET ALIORUM DOCTORUM

EXCELSI THEOLOGICI

LEO JUANNE

AL. DE. RICHARDO

ET ALIORUM DOCTORUM

EXCELSI THEOLOGICI

LEO JUANNE

AL. DE. RICHARDO

ET ALIORUM DOCTORUM

EXCELSI THEOLOGICI





## §. 1.

**V**aria sacra hic tractaturi non immerito damus locum observationibus nonnullis, quibus egregie ostendi potest, doctrinas & sententias Sanctorum V. T. sensum habere sublimem & spiritualem, viasque Domini tunc fuisse excelsas, nec sine generoso Spiritu in iis potuisse ambulari.

\* Cum nostras olim *Hypotheses generales pro sensu sublimi & spiritali revelationis divinae in V. T.* scriberemus, plurima Scripturae testimonia insignia tunc temporis omittere coëgit circumscripta suis limitibus pagina, & *Psalms maxime Davidicis*, qui sublimibus sententiis ejus ordinis abundant. Hac vero occasione adjiciemus aliqua. Quam egregium est, verba *Davidis Ps. XIX. 13. ab occultis munda me*: interpretari de ea puritate conscientiae humili, quae in sanctis piisque hominibus non de crassioribus modo delictis, manifestis insuper atque notoriis, sollicita est, sed etiam curam gerit, ne occultae quoque infirmitates, quas alii ne curant quidem, sibi ulla ratione in solidis profectibus sanctitatis noceant, atque maneant inexplatae in foro divino. Haec tenus etiam textum recte retinuit CLERICUS, dum interpretatus est: *Delicta per errorem admissa quis intelligit? Ab occultis (sc. peccatis) munda me, (O Deus!)* Sed deinceps in *nota exegetica* sic exponit hujus textus sensum. *Multa quidem, inquit, hodie ignorantia peccantur in leges Evangelicas: sed multo frequentiora erant apud Hebraeos ejusmodi peccata propter leges rituales, in quas ab imperitis multa delicta*

delicta facile admitti poterant, aut, quia eas omnino ignorabant, aut, quia leges cuius casus adaptare nesciebant. Quamobrem postea Pandectæ & Talmudica scripta sunt, ut, quid licitum, quid illicitum, in his rebus censerent Doctores, omnibus innotescere posset. Comment. in Hagiogr. p. 230. Nullum equidem dubium est, Davidem Regem aliosque pios scientes volentesque ne quidem adversus legem Dei sui rituales voluisse delinquere. Sed, ut CLERICUS admirabilem hanc illius confessionem tam eximio & prædominante sensu ad hanc speciem peccatorum restringeret, ejus singularitatis prorsus nullam rationem justam habuit. Aberat longe a Davide ea legis ritualis imperitia, quam hujus suspirii causam facit CLERICUS in sua exegesi. Forte hunc gradum sanctitatis ac teneritudinis conscientiæ Veteri Testamento majorem fuisse arbitratus est, si ad moralem quoque legem verba Davidis extendi voluit. Absit autem, ut hac parte ipsi assentiamur. Porro, cum in Ps. XXVII. 1. ait David Rex: *Jehova est lux mea, & salus mea, a quo timebo?* ipsa utique materia substrata indicat, his verbis ipsum etiam præsidium Dei adversus temporales & externos hostes comprehendi, atque adeo metaphoram lucis heic sensu latissimo accipi. Sed cum vere sancti homines hostium suorum nomine spirituales maxime nequitias, & occultas Satanæ insidias, cum immediatas, tum mediate in malis hominibus cooperantes intelligere & respicere soleant, recte utique creditur, Davidi quoque eam fuisse mentem, & convenire, ut verba ipsius citata, ut & alia similia, hoc sensu explicentur. CLERICUS autem hæc tantum habet, dum primum in sua paraphrasi sic loquitur: *Cum Creator animum meum prophetico lumine illustret, meque incolumem seruet, a quo mihi timere possum?* Deinde in notis: *Lux frequenter res secundas, ut caligo adversas significat. Deus dicitur lux, quod lucens adferat, h. e. secunda omnia faciat, liberetque ex adversis. ibid. p. 249.* Hæc postrema facile possunt admitti. Sed unde probabitur, propheticum lumen hic designari? Quamvis enim Davides nonnunquam extraordinario Oraculo fuerit a periculo præservatus, id tamen ordinarie in eo probationis tempore locum non habuit. Argumentum autem illud fiduciæ fuit universale, & constans sibi in quibusvis casibus. In Ps. XLIX. 15. verba sic vertit CLERICUS: *Hic est Deus, Deus noster in perpetuum, Dux noster ad mortem usque.* Cum  
alias

alias phrasin על מות nonnulli aliter legant vertantque, ipse præfert *interpretationem citatam*: de cetero autem ne verbulo quidem exprimit; quale sit hoc ducere ad mortem usque? Quivis alius diceret, *Davidem* hic digitum intendere ad mortem, ejusque eventum felicem & beatum, hoc enim caractere mors piorum & malorum reipsa distinguitur. Quodsi vero spes beata immortalitatis hic seponitur, non modo nullum discrimen est, sed etiam nullus revera sensus. Idem objici potest hujus *Viri* commentationi in *Pf. XLIX. per tot.* Dicuntur ibi de morte impiorum divitum & honoratorum valde contempta & tragica: E contrario vero de se ipso dicit *David v. 16. Sed Deus liberabit animam meam e sepulchri manu, quia me acceptavit.* Vi parallelismi etiam hæc de morte & statu mortis intelligi debent, sicut & *v. 17. & 21. Quam absurda & nulla est hæc comparatio, si ex mente Davidis par fuerit bonorum & malorum in ipsa morte, & post mortem, ratio? Notum est ulterius, quam insignes veritates quarantur communiter in Pf. LXXIII. a v. 25. usque ad finem. Una vero litura has prope omnes delet CLERICUS. Ad verba v. 25. Quis mihi in celo (Deus præter te) nec in terra (quidquam est) quo juxta tecum delecter: hæc adseribit: Significat Psalter, a se neque angelos, neque sidera, colit. Ad v. 26. Absorpta est caro mea, & cor meum, O Deus, qui rupes es animi mei: Corpore & animo deficio, nisi mihi vires sufficias, animumque meum confirmes. Sunt, qui velint subaudiendum **NON**, si, hoc sensu, si corpus & animus defecerint, tu es perfugium meum. Quod nec improbârim. V. Comment. cit. p. 382. Quod in primis verbis de protestatione Davidis contra idololatriam cogitavit CLERICUS, id omnino longius petitum nobis videtur. Nimis specialis hic sensus est, & verba sonant longe generalius & efficacius. Deinde idem admittit versionem: Si defecerit corpus meum, & cor meum. Tu Deus es rupes & portio mea in perpetuum: Atqui plena defectio hujus ordinis fit in morte. Quomodo vero Deum in illo statu rupem & portionem suam perpetuam habere & nominare potuit, si post hanc vitam nihil expectavit? Ad dimus explicationem CLERICI in *Pf. CXIX. 18.* ubi preces Davidis de refectione oculorum suorum, ut videat mirabilia legis divinæ, de arcanis legis ritualis vult intelligi. *E lege tua mirabilia, h. e. inquit, qua sunt maxime occulta in lege tua, & qua mirantur ita habere**

bere, qui sunt consiliorum tuorum ignari. Tales erant cerimoniam multa, quarum tempore *Psalta* ignota erant rationes, ita ut nemo, aut perpauci, scirent, cur essent instituta? & plerisque iugum pro arbitrio *Judeis* impositum videretur, quo meliores non fiebant. Postea ex *Evangelio* intelligere licuit, omnia illa esse elementa quadam religionis, quae erant adumbratio tantum rerum meliorum postea futurarum, & ingenio populi rudi, aut pravae ejus indoli, attemperata erant. Verum antea tot ritus, tot cibi illiciti, non natura sua, sed ex mero legislatoris interdicto, quorum rationes obscura erant, etiam religiosis *Viris* miri videbantur. l. c. p. 487. Potest autem jure affirmari, hanc expositionem, ut & totius *Psalmi*, esse valde jejunam, Subjectum totius *Psalmi* est Verbum Dei, quod *David Rex* habuit, ipsi ut *Prophetae* revelari solitum, lex *Spiritus Dei* in corde ipsius, lex moralis populo *Israëlitico* concredita cum omni alio verbo Dei illius temporis. Nec dubitem, legem quoque rituum partem fuisse illius verbi, quod *David* ante oculos habuit, quousque in illis erat cultus Dei & obsequium divinae voluntati praestitum. Quod vero in specie v. 18. attinet, ne umbram quidem verisimilitudinis habet, in eo de lege rituali sermonem esse. Si recognoscisset *CLERICUS*, quam abjecte ipse de his legibus sentiat, certe non debebat mirabilia tribuere legi, in qua secundum ipsum nihil rationis erat. Quare & coactus est, hujus admirationis causam non ab excellentia legis, sed potius a contraria qualitate repetere, quod prorsus ab intentione *Psalta* deviat. Cetera jam dimittimus. Denique paucula quaedam annotamus ad insignem *Prov. XIV. 32.* sententiam. Nequitia sua propellitur improbus, sed justus etiam confidens in morte sua, inquit *Salomo*. Res ipsa docet, in utroque casu de morte agi cum improbi, tum justi, quia sibi invicem in hoc tertio opponuntur. Propellitur igitur in nequitia sua improbus, quando invitus & cum mala conscientia mori cogitur, neque eam, cum tempus adest, impedire valet. Contra justus non solum in periculo mortis, sed in ipsa morte sua confidens dicitur, cujus diversitatis causa alia esse non potest, quam, quia hic est justus, atque adeo cum fiducia in Deum stationem hujus vitae deserere potest, & rationes habet beatam mortem atque a Deo benedictam sperandi. Hunc sensum obvium verborum *Salomonis* esse, satis apertum est. Quid hic *CLERICUS?*



CLERICUS? *Exterminatur*, inquit, *improbis*, e loco nempe, in quo erat. *Innocens vel in morte sua sperat*, h. e. in periculo mortis se evasurum sperat. Sed, ut diximus, nulla ratio adest hic cogitandi de periculo mortis extraordinario, in quo homines improbi sunt sæpe longe animosiores & confidentiores, quam pii. De morte ipsa, & statu animi morientis, sermo est, quando actu moriendum est. Si supponitur in morte peccatoris & iusti æqualis exitus in nihilum sine scientia & fiducia immortalitatis, nedum immortalitatis beatæ, quid hoc facit ad illud discrimen, quod *Salomo* inter improbum & iustum emphatice constituit? Utrinque ad hujusmodi mortem Stoicismo quodam, non vero fiducia religiosa, opus est: Tunc enim religionis desinit motivum, ubi nihil ultra adest, quod a Deo speretur aut expectetur. Contra eandem ideam de crassa & carnali religionis Judaicæ indole illa quoque adhiberi potest *hypothesis generalis*, quod hunc populum Deus per omnes illius ætates duxerit via fidei puræ, quæ se neglectis omnibus subsidiis humanis & ordinariis solum Dei promissionibus ductibusque committere debuit totam. Nihil jam dicam de admirabili periodo *Davidis*, in qua a *Saule* Rege fugitivus usque ad occupatum tandem Israël's regnum, sine omni præsidio humano, in medio hostium, inter quotidiana sacrificia suæ famæ, fortunarum suarum omnium, ipsius etiam vitæ, vocatus est a Deo ad simplex & absolutum obsequium fidei, & fiduciæ in ipsius destinationes & promissiones, eo quidem gradu, ut cum aliquoties victus metu desperata salutis per fugam ad *Moabitas* sibi consulere voluisset, speciali mandato per Prophetam ex illis receptaculis in consueta sua pericula redire iussus fuerit, *1. Sam. XXII. 3. 4. 5.* alio autem tempore illam diffidentiam suam luerit acerbissime. *1. Sam. XXI. 10. seqq.* De toto populo Israëlítico, ejusque ductu divino, dicemus potius. Quanta hic mirabilia vocationis ad vitam puræ & sublimis fidei nobis ostendit intervallum mansionis diurnæ in *Ægypto*, educationis ex isto ergastulo, in deserto diverticuli, diurnæ dissociationis a reliquo genere humano, probationis perpetuæ in iisdem viis fidei & obsequii puri ac generosi, & exemplarium poenarum transgressionis cujusvis hujus vitæ, ipsius denique introductionis in terram *Canaan*? Quodsi jam porro addimus, introductis in  
terram

terram Canaan Judæis solum & unicum præsidium fuisse invisibilem Dei assistentiam : omnia ipsis fœdera & auxilia fuisse interdicta cum vicinis populis, etiam in summo & extremo periculo : contra solius Dei Israël expectandum in spe & silentio auxilium, ferum nonnunquam, & in suam horam dilatatum : omnibus in specie viris ter quotannis Hierosolymam ad festa insigniora eundem fuisse, nulla alia securitate familiis & charitatis domi manentibus, suæ in universum patriæ, relicta, nisi quod suam protectionem Deus in illo tempore promiserit, & alia id genus plura. His omnibus viis ac ductibus divinis non potuit hic populus se submittere absque sublimi divinaque fide, obsequio generoso, & sacrificio sui ipsius in voluntatem & veritatem Dei. Vel solum hoc specimen demonstrat, nolle intelligere eos, qui hic contradicunt, ad quam sublimem & nobilem religionem, suique cultum, Deus hunc populum vocaverit? Ipsis etiam SS. sine controversia talibus in hunc usque diem nihil prope altius, nihil spiritualius, ac divinius solet imponere Deus, etiam sub gratia N. T. si gradus excipias. Sed hæc *ως εν παραδω.*

## §. 2.

**C**um, vexatissimæ de usu & autoritate rationis in rebus fidei controversiæ vim nocendi irritandique adimendam esse, omnium procul dubio Sapientum sit sententia, id ipsum (quamvis aliis nihil derogatum velimus remediis) feliciter præstari non posse, arbitramur, quam si, quid in hac quæstione quærant Theologi? perspicue doceatur, justæque parti utrique pacis condiciones offerantur: nisi forte & hic metuenda sint consuetæ illorum fata, qui in quovis litium genere controversias conantur componere,

\* *Primo* nemini vertimus vitio, si optet & cupiat abesse vocabulum rationis ab ea quæstione, in qua plerumque in malam partem accipitur; quamvis enim post tot illustrationes & commentationes satis liquere possit, quo sensu contra rationem hic disputetur, nec ne? splendido tamen hoc nomine abutuntur rationis immodici

immodici defensores ad excitandam aliis ridiculam eam invidiam, quasi rationem oppugnando ipsam sapientiam hostiliter invaderent, ac destruerent Theologi, quod tamen longe falsissimum est. Cum vero usus hujus vocis in præsentem materiam nimis altas fixerit radices, quam ut facile possit aboleri, ad minimum hoc præceptum non debet negligi, ut, quantum fieri potest, sensim sensimque imminuta odiosa illa homonymia figatur tandem inter sapientes verus & legitimus controversiæ status, ne, dum hic de cepa interrogat, alii semper de alio respondeant. Illud maxime *secundo* liquere arbitror, omnes eos vagari extra oleas, qui putant, sibi contra Theologos probandum incumbere, quod recta ratio non sit corrupta, quod etiam in rebus sacris nihil credi possit ac debeat sine rationibus moventibus ad assensum, quod intellectus humanus illa sit facultas, per quam res quoque divinæ intelliguntur, quod principia rationis in suo genere contineant veritates certas, irrefragabiles & necessarias, aliæque id genus plura. Sciunt hæc Theologi etiam sine illis Magistris, qui ipsos id alphabetum docere satagunt. Quodsi vero jam *tertio* quæritur, quid ergo sibi velint Theologi, quando contra rationis autoritatem in rebus divinis solent differere? facile utique est eorum mentem atque intentionem exponere. Sic solent e. g. contradistinguere, vel etiam pro re nata opponere, rationem, seu principia rationis, revelationi supernaturali veritatum divinarum in S. literis extantium: contradistinguere quidem, ut naturale & supernaturale, ut imperfectum & perfectum, ut distinctis prorsus usibus ab utriusque autore, Deo, destinatum: opponere vero, quoties veritas aliqua revelata & certa ex falsis principis rationis, non veræ, sed spurix, impugnatur, vel suspecta saltem & dubia redditur. Quandoque opponunt Theologi rationem cordi animoque hominis, sive, quod idem est, notitiam rerum quoque divinarum naturalem, mere speculativam, & sterilem statui intellectus per lumen gratiæ & Spiritus S. illuminati, ac notitiæ supernaturali vividæque rerum divinarum & spiritualium, in quo certe discrimine non errant. Porro loquuntur nonnunquam & pro substrata materia de simplici intelligentia veritatum cœlestium absque operosæ ratiocinationis ampagibus, item de simplicitate tranquilla & docili in sectandis viis

ductibusque divinis: quas si deinceps rationi opponunt, si hic dicunt non esse consulendam rationem, evidens est, ipsos per rationem non intelligere donum aliquod Dei, sed animum hominis propter manifestum, vel occultum, incredulitatis vitium, & prætexitu tamen sapientiæ & rationis, multas demonstrationes quærentis, veritatem difficiliter admittentem, vel etiam plurima, cum specie quidem rationis, revera ex cecitate & imperitia spiritali, adversus vias DEI & prompte illis præstandum obsequium verbis factisque excipientem & tergiversantem. Nec minus in usu est, etiam vulgari, rationis nomine appellare naturalem illam vivacitatem & fecunditatem ingenii humani, qua qui abutuntur, mirifica sæpe cum copia & specie de rebus quibusvis differere, iisque gratiam & robur apud peritos ac imperitos conciliare, didicerunt, sive sint veræ, sive falsæ. Hoc ipsius etiam vulgi stylo tantundem est, ac plurimum rationis habere, *viel Vernunft haben*. Rationem autem hoc sensu acceptam, & in abusu constitutam, fidei & obsequio erga veritates divinas vehementer nocere, quis dubitet? Nec illud omittendum, accurate distinguere Theologos convictionem animi per rationes persuadentes naturali iudicio excussas, & divinam illam convictionem, quæ sequitur, dum ipse Spiritus S. rationes moventes & persuadentes conscientia hominis gratiosè & efficaciter applicat. Prius ad rationem referunt, & humanam fidem aut scientiam gignere affirmant: in posteriore autem casu non rationis persuasionem, sed fidem divinam nominant: qua in hypothesi & phrasæologia nihil absurdi est. Alia adhuc magis trita dimittimus. Ex his aliisque pluribus exemplis constat ad minimum, gravissimas utilissimasque veritates in animo habere Theologos, atque etiam alios velle docere, quando ex usu sensim sensimque recepto ac diuturno vocem rationis sensu vel imperfecto, vel vicioso, accipiunt, sicque intellectam rationem vel debito ordine collocant, vel omnino carpunt atque rejiciunt. Si *quarto* desiderentur cautelæ contra abusum doctrinae communis, & reparatio aliqua honoris læsæ rationis, quam nonnulli a Theologis cum magnifico objectionum apparatu postulant, sequentibus conditionibus transigi inter partes heic litigantes posse existimamus. Cavendum sc. est una ex parte, ne imperiti homines id, quod contra  
rationis

rationis vel intellectus nostri vitia & imbecillitates traditur, in sua ignorantia & socordia praesidium accipiant, atque ipsa intellectus humani cultura legitima, ex utroque natura & gratiae lumine, DEO benedicente, haurienda illis fiat suspecta, si semel crediderint absurde, rationem ipsam Ministris religionis tam ridiculo gradu suspectam esse. Cavendum, ne indiscreta contra rationem declamatione ipsi Theologiae naturali verae & legitima, ac veritatibus universalibus ex ratione & natura notis, ullum creetur praesudicium, & stultae de rebus omnibus dubitationi malitiosoque Scepticismo speciosa praebetur occasio. Cavendum, ne praetextu rationis ab iudicio de rebus divinis & mysteriosis removenda in supersticiosam credulitatem incidamus, mysteria fingamus, ubi nulla sunt, in venerabiles, quod ajunt, chimaras delabamur, dum sapientes chimaras vitare voluimus, hincque tandem & recta ratione, & vera fide, careamus. Cavendum porro, ne, dum *praeursorum rationis* iustis de causis in materia religionis valere non permittimus, ejus quoque ministeria ab eo loco, quem legitime occupant, rejiciamus. Cavendum Ministris religionis, & Homiletis in specie, ne ineptum & sinistre intellectum rationis odium minus accuratis aut coherentibus minus sapienter eos adsuefaciat sermonibus, quamvis de cetero hoc quoque constans doceat experientia, nisi aliunde divina praevaleat gratia, & sensus adsint ex eodem principio exercitati, vix fieri posse, ut quis vel confusi declamatoris, vel sterilis frigidique ratiocinatoris, labem effugiat. Cavendum, ne novo illo schematico decipiantur homines, per quem nonnulli nostra aetate videri voluerunt rationem vehementissime deprimere, ut sc. fidem eo magis honorarent, cum tamen ipso opere omnia eo recidant, ut veritates illae divinae per fidem credendae tanquam insipientes & rectae rationi contrariae derideantur. Cavendum, ne dum in certis quibusdam argumentis Theologicis adversus rationis & principiorum illius influxum atque autoritatem partes disputantes protestantur, in aliis, quasi variata scena, & mutata acie, recte hactenus dicta, si non semper verbis, factis tamen satis apertis, refigant & resorbent. Cavendum denique omnibus, ne officio suo satisfactum esse putent, theoretice reprehendendo abusum rationis in rebus divinis & spiritualibus, dum in-

terim per totam vitam suam res istas quam plurimi tractant per solam rationem, eamque sibi relictam, neque per gratiam S. Spiritus solide præparatam ac emendatam, quos aliquando propria conscientia condemnabit. His conditionibus nemo, ut spero, Theologorum refragabitur. Postulat autem ex altera quoque parte æquitas, ut Rationalistæ nimii (hi enim maxime in controversiam hic veniunt) de excessionibus suis in hac materia rationem reddant, ac satisfaciant. Admittant illi postulata sequentia. Abstineant in posterum a tot æquivocationibus, quæ huic causæ non raro miscentur. Collocent principia rationis suo loco, ne in eos animadvertere ob occupatum locum alienum & incompetentem necesse sit. Agnoscant veritates graves & arduas, quæ hic Theologis cordatis & religiosis curæ cordique sunt. Dissocient se verbis & factis ab impuris Pseudorationalistarum excessibus, de quibus salva veritate & experientia dubitari non potest, eorumque facile reddi potest ratio. Improbent ipsi iniustas & exaggeratissimas querelas, in quarum nonnullis parva sæpe prudentia & modestia est. Contenti sint rationis jura modeste defendere, quæ in multis plane titulis tam certa & rata non sunt, atque ipsis nonnunquam videtur. Nullam posthac litem moveant Theologis circa ea, in quibus Theologi recte docent omnino, & si quid putant ipsis accidisse opinionis non omni ex parte authentice, veniam dent sumantque vicissim. Quibus hæc pro instrumento pacis pleno, (quod non prætenditur) nondum sufficiunt, illos tanquam præliminarios articulos haud gravatim eadem esse accepturos, speramus.

## §. 3.

**Q**uas origo rerum omnium per emanationem ex Deo, quam haud pauci variis ex principiis, iisque valde dissimilibus, negata omni ex nihilo creatione, asserunt, difficultates habeat? nemini ignotum est. At placet nunc maxime sub incidem revocare aliquam ejus rei explanationem, quam ex novissimis Scriptoribus nonnemo ingenti cum fiducia dedit, insultare etiam ausus communi sententiæ.

\* *Propria Viri verba in Latinum sermonem conversa hæc sunt. Creationem, inquit, non ex nihilo, ex quo in æternum nihil fiet, sed, teste*

teste Scriptura & sana ratione, ex Deo ipso materiale, h. e. passivum suum fundamentum & objectum primum habere oportet, ex cuius infinita essentia & indeterminata natura aeterna omnia, quae sunt praeter Deum & essentialia ejus producta (Filius sc. & Spiritus S.) principium suum constitutivum habent, cum ratione Spiritus, tum ratione corporis. Ex nihilo nihil fieri, mihi tam certum est, quam alterum illud, quod impossibile sit simul esse & non esse. Scriptura, sine qua & contra quam in contrariam partem philoxophantur, plane docet oppositum, quod visibilia ex invisibilibus, atque adeo minime ex nihilo, orta sint, h. e. in prima creatione mundi angelici ex Deo ipso, & in sequenti nova creatione rerum crassiorum ex aeterna & lucida natura Dei per lapsum Satanae & angelorum ejus magis jam contracta, coagulata, & in inordinatorem prolapsa, qua prius omnia individua spiritualia prima creationis vestita & corporificata fuerant. Postquam idem lectorem sibi proposuit modi hujus rei mirificae intelligendi cupiditas, tentat is quidem aliquid, sed cum praevia desperatione soliditatis. Modus iste (sic pergit) procul dubio nobis manebit incognitus. Experiamur autem, quousque per similitudinem ad scopum nostrum propius accedere liceat? Scimus nos Philosophi, spiritum nostrum ex nobis ipsis formare ideas & imagines, easque in phantasia vivide admodum representare: scimus etiam, haec entia rationis, sive has phantasia nostra creaturas posse in alios Spiritus transferri, atque in illorum phantasia eodem, quo apud nos, modo formari. Hac parte gerimus imaginem Creatoris, & entia rationis, seu fetus cerebri, qui prius in natura rerum non fuerunt, efficere possumus. Quodsi jam porro viribus polleret Spiritus noster de suo Spiritu & corpore tantum vita & materia largiendi, ut inde talis idea animari, & extra phantasiae tanquam ens reale in hoc mundo constitui posset, essemus sane reipsa parvi Creatores, ac valeremus grillos nostros realitate donare, Deosque agere pro modulo nostro. Sed his viribus solus Deus praeditus est. Tandem vero haec clausula subjungitur: Quodsi nunc creationem aliquo modo percipitis, bene est. Si secus, aequae bene est. Res ipsa tamen vera & decisa manebit. Haec ille. Nos vero ista non vanae curiositatis gratia, sed eum potius in finem, allegamus, ut ex hoc quoque specimine pateat, quantum praestet in divinis maxime rebus tractandis simplicitas, modestia, & humilitas Christiana necessariis veritatibus contenta praevia audacia omni temere se immittente in ea, quae tamen nos latent. Id

Apostolus, quamvis in alio argumento, *αὐτὴν ἰσώρακεν ἐμβατεύειν* Col. II. 18. nominat, & alias quoque sine controversia cum multis vulgaris videtur & plebeja nostro seculo, etiam pio nonnunquam, quam ut illi placere queat. De cetero fateor, me capere non posse, cur doctrina communis de creatione ex nihilo tam acerbe & odiose traducatur a multis, quibus alias dogmata quævis sunt valde indifferentia? cur contra sententia illa de emanatione rerum omnium ex Deo tantum non obtrudatur verbis fastuosissimis, quam ipsi illius defensores a se explicari non posse fatentur, & quæ tam odiosam in multis habet speciem. Quicquid nonnunquam exponendi animo moliuntur, id sæpe nihil est aliud, quam obscurum illustrare velle per æque obscurum, vel consistit in similibus ad rem istam haud quadrantibus, vel ad nihil prodest aliud, quam ut nova objiciantur lectoribus scandala, & incredulitatis argumenta. Aut omnia me fallunt, aut *citata* modo *verba* ad eandem classem pertinent. Certe non est valde intelligibilis Philosophia, vel Theologia potius, de natura Dei æterna & lucida contrahibili, coagulabili, & inordinationis capace, quæ etiam prius individua spiritualia primæ creationis corporificaverit. Nec illud cuius in mentem veniet, quod formatio idearum intellectus, & imaginum phantasia creationis sit species, eademque possint in aliis transferri Spiritus, non qualitercunque, sed realiter. Ut taceamus, parum & naturæ rei convenire, & divino operi creationis, si similes nostris in Deo concipiamus ideas atque imagines, & dicamus postea, ex illis factos esse per creationem veros Spiritus extra Deum existentes, imo easdem coagulatas & crassificatas evadere in corpora. Enimvero dantur nostra ætate homines, qui lapides & ferrum concoquere possunt, Deumque non raro honorare per ea prætendunt dicta, quibus alii summam ipsi contumeliam injuriamque se inferre cum reverentia metuerent. Quo sensu verum sit, ex nihilo nihil fieri? tanta pridem cum cura & severitate examinatum est, ut prope tædeat vel verbum reperere. Causa semper requiritur, quæ efficiat: non requiritur semper materia, ex qua aliquid fieri debeat. Prior nec in creatione deficit: posteriorem adesse oportere in creationis negotio per meram petitionem principii asseritur,



tur. In c. XI. ep. ad Hebraeos v. 5. nihil est, quod creationis ideam ex communi sententia evertat, præterquam quod ibi non de simplici creatione, sed etiam *περὶ τῆς καταβολῆς τῶν αἰώνων*, h. e. de mundi coagmentatione & perfectione sermonem instituerit Apostolus. Ad reliquas rationes, etiam Scripturarias, in *Scholis nostris privatis* in doctrinas Fanaticas respondimus.

§. 4.

**I**nepta & detestanda est illa methodus demonstrandi originem peccati malique universi, ad quam necesse est negare veritatem historiæ Paradisi, Adæmonismum tueri, statum infantix & juventutis in statum integritatis & innocentix convertere, omnem nexum inter Adamum & posteros tollere, corruptionem omnem originalem inficiari, omnemque tandem peccati malique rationem in eo collocare, si id, quod per se bonum est, & innocens, secundum leges meliorationis non amplius perficiatur.

\* Hujusmodi Systema non ita pridem confinxit quidam *Pseudo-Democritus redivivus* in singulari libro de *Lapsu Adami & origine peccati*, quem ab initio multi pro foetu posthumo *Democriti genuini* habuerunt, nunc vero ab alio *Autore*, cujus etiam nomen indicatur, editum esse, compertum est. Tanta in eo regnat impietas & protervia, ut ab ipsis *Christiani Democriti* amicis tanquam profanus & impius rejiciatur, nedum ab aliis, qui longius adhuc absunt a tali Systemate. Videamus vero rem ipsam ex quibusdam verbis *Autoris*, sed in compendium redactis. Ante omnia Theologis negandum esse censet, quod *vera sit historia* apud *Mosen*, quod is de Paradiso, de Adamo & Eva, de statu integritatis & imaginis divinæ, item de seductione per diabolum & serpentem tradidit. Quicquid ex hac Historia hususque docuerunt Theologi, dicit esse meras *ineptias & ignorantias*, ipsis autem petulantissime insultat. Contra affirmat, esse merum *enigma morale*, instar *tabule Cæberis*. Sic illud explicat. *Paradisus*, inquit, est *totus mundus*. *Hortus Eden felix hominum status*. *Oriens*, ad quem  
hic

hic plantatus dicitur, juvenus hominis, vel status innocentia in ea. Quatuor fluvii sunt quatuor fontes principales omnium bonorum hujus mundi. Arbor vita, & scientia boni & mali divina praecepta & interdicta conjuncta cum promissione vita & benedictionis, & comminatione maledictionis. Serpens illecebra quaevis seducens hominem adultiorem, cum interna, tum externa. Seductio ipsa perpetratio concupiscentiarum & voluptatum in crescente aetate, in qua primas partes ut plurimum habent feminae, & per feminas viri: frigusculum vespere aetas senilis. &c. Post absolutionem Adamo & Diabolo ab imputationibus Theologorum verbis procacissimis impertitam principium illud meliorationis, quod vocat, & omnibus aliis originem mali explicantibus sententia substituit, sequentem in modum exponit: Deum post cetera animalia hominem quoque creasse, illique eadem prope membra, cum interna, tum externa, similesque adeo vires, appetitiones, inclinationes, & motus dedisse, vi quorum se conservare, tueri, alere & propagare possit instar reliquorum animalium: postea decrevisse Deum hoc animal supra cetera elevatum Dominum, inspectorem, & altorem illis constituere, ut per liberam potestatem, quam in proprium suum corpus habebat, bonas has Dei creaturas adhuc meliores redderet. Si id homo praestet, bene ipsum facere: si secus, id, quod ex manu Dei bonum erat, ideo tantum malum dici, quoniam homo illud in melius convertere neglexerit. Inde concludit, quaestionem de origine mali meram esse logomachiam: sc. quia id, quod in se bonum est, quousque a Deo profectum, alio respectu malum dici debet, cum contra vulgo credatur, illud per se, & prout Deum autorem habet, malum esse. Addit deinceps, nisi homo legem istam meliorationis accepisset, non majus peccatum fore, si, qui nunc bestiam, hominem occideret, & sic porro: Nunc vero propter omisam vel violatam legem meliorationis locum habere peccatum, hocque sensu rem omnem vel bonam, vel malam, esse. Sperat denique, omnes jam intellecturos, suum Systema longe melius, & Deo gloriosius esse, quam abominabiles Theologorum opiniones, qui ex sinistro intellectu Sacrae Scripturae & historiae Paradisi primum Diabolo, deinde charo Patri Adamo, originem peccati & horrendam quandam totius naturae humanae corruptionem adscribant &c. Haec ex multis longe pejoribus, tum rebus, tum verbis, excerptae placuit. Non putem vero, eo usque jam prolapsas esse res religionis, ut veritates hujus ordinis inconditis clamoribus, & qualificationibus plus quam

quam inquisitoriis, tam facile cedere debeant. Dicitur potest verissime, etiam per modum generalis responsionis, esse illas doctrinas longe solidioribus fundamentis cum summa cura ac diligentia pridem superstructas, quam ut thraſonicis declamationibus, quibus tota illa antithesis scaturit, tam facile possint everti: si paucas quasdam detorſiones fugitivas quorundam textuum excipias, nihil prorsus ad cumulata & harmonica Scripturæ dicta, quibus hic nituntur Theologi, responderi: præcipuum ubivis robur esse in meris petitionibus principii, in temeritate omnia miscendi & confundendi, atque in supina negligentia veri status controversiæ, vel etiam in odiosa recoctione objectionum, ad quas jam millies responsum est: esse mera sophismata, quando in analysi ultima considerantur *Autoris* ratiocinia, e. g. figuratam docendi rationem fuisse antiquam: igitur & eandem in medio historiæ per integra capita connexæ, quasi *απο μυθων* adhibuisse Mosen: esse aliquid figuræ in illa historiæ Mosaica, hinc totam figuram esse, & nihil adesse historiæ: Tacuisse serpentem, non igitur fuisse Diabolum: Quoniam Deus *Gen. IV. 7.* peccatum nominat ante fores excubans, id, quod Diabolum *Petrus* nominat *1. ep. V. 8.* nihil aliud, quam concupiscentiam, designare, eodemque sensu *Pauli* quoque verba *2. Cor. XI. 3.* oportere intelligi: ut alia multa prætereamus. Quod ad specialia attinet capita, duo saltem in præsentia attingimus. Primum est de veritate historica recensioſis Mosaicæ. *Mendacii, imposturæ, & ignorantia* accuſantur Judæi & Christiani cum tota cohorte veterum & recensium Theologorum, qui communi in hunc usque diem consensum veram ibi, ad minimum quoad summam rei, historiæ narrari crediderunt. Præterquam autem, quod hæc sententia, si vel a vero ablueret, tam furibundas & atroces nequaquam mereatur censuras, illis certe ea nititur fundamentis, quibus absque summa temeritate controversia moveri non potest. Si creatio mundi a *Mose* historice traditur, etiam reliqua ad continuatam ejus rei historiæ referenda sunt, quia uno sermonis genere, una serie, & cum arctissimo nexu recitantur. Si nihil hic historice traditur de primis hominibus, sed saltem emblematicè agitur de via virtutis & vitii, prout illa omnibus hominibus proposita est, dicendum erit, *Mosen* fundamentalem historiæ de origine generis

neris humani, & cognatis veritatibus plane prætermisſiſſe, quod utique dictum eſt abſurdiffimum. Adamum & Evam nomina ibi eſſe propria, non appellativa, ſole clarius eſt. Pleraque, quæ de ipſis dicuntur, aliis hominibus non competunt. Non alium in c. II. & III. Adamum intellexit Moſes ab eo, cujus in C. V. 1. ſeqq. mentio injicitur. Eva non quamvis ſignat mulierem, ſed eam, quæ hoc nomen ut futura mater omnis viventis ab Adamo marito accepit. c. III. 20. Eundem ſenſum eſſe vocis Adami in C. V. ep. ad Rom. v. 12-17. uſque adeo clarum eſt, ut omni pudori iſi mihi renuntiâſſe videatur, qui contrarium prætentit. Conſentit Paulus 1. Tim. II. 12. ſeqq. & 2. Cor. XI. 3. idque tam perſpicue docet, ut in utroque loco de Adamo & Eva ſermonem eſſe, ne adverſarius quidem negare audeat. Atqui hæc omnia ſuppōnunt hiftoriam, ad eam enim notorie alluditur & provocatur. Plura jam non addimus. Quod porro idem ſtatum integritatis Paradifiacæ in verbis Moſis exponit de ſtatu infantia in ætate humana, in eo ludibrio habet ſeipſum, & lectores ſuos. Status infantia humanæ, prout nunc eſt, non eſt ſtatus imaginis divina in creatione a Deo homini ſecundum Moſen donatæ, ſed potius contrarius ſtatus, in quo ſunt caro de carne, & filii peccatorum, non Dei amplius, ſed parentum peccatorum gerentes imaginem. P. O. petulanter vocare *eine Erbsen-Sünde* per ineptam paronomafiaſi, huicque doctrinae longe graviffimæ & recte intellectæ irriſorie inſultare dum auſus eſt adverſarius, in eo quidem ſuae libidini obſequitur, at nihil minus quam pro merito & dignitate cauſam hanc a Theologis accurate & cum cura pridem ventilatam examinavit, ut ex horum meditationibus cum ſuperficiariis illius oblocutionibus comparatis facile quivis intelligere poſſit, a qua parte ſtet veritas? In principio meliorationis (quod adverſarius ſubſtituit,) ſi quid veri eſt ſanique, id in veritatibus jam ante ipſum ſtabilitis receptisque quærendum. Quicquid de ſuo addit, partim obſcurum & ambiguum, partim falſum & imaginarium eſt. Nihil hoc principium prodeſt ad explicationem peccati Angelici, quod primum erat: nihil ad originem primam peccati Adamitici, quod non in eo ſtetit præciſe, quod Adamum creaturas corporeas non melioraverit, ſed quod ipſe animo & voluntate ſua defecerit a voluntate Creatoris, & in prima ſua  
inte-

integritate & rectitudine, h. e. in imagine divina servanda non perstitit, quod a priore prorsus est diversissimum, uti tota clamat Scriptura. Videtur cetera hic *Autor* statum primi hominis ad eum fere modum describere, quo alias apud Scholasticos Theologos status purorum naturalium depingitur, non qualis actu fuerit, sed potius, qualis absque imagine divina & gratia supernaturali esse potuisset. Non est autem operæ pretium, commenta hujus generis tanquam arduas & necessarias veritates religioni intrudere, justis rationibus (quod defendere in colloquio publico parati sumus) jam diu profligata, nec novis rationibus ab adversario sustentata. Dicta *Pauli de duplici lege, de lege in membris suis, de lege carnis, item de pugna carnis & spiritus* ad Adamum in statu primitivæ suæ creationis constitutum applicare nemo potest, nisi qui de illo statu contra Scripturam arbitrarias sibi fingit chimæras, & ex meris petitionibus principii invicta fabricat argumenta. Probari ista debebant, non pro certis poni. Nihil clarius est, quam quod ista *Pauli* Apostoli sententiæ in locis *Rom. VII. Gal. V.* aliisque statum peccati supponant, atque respiciant. Qua fronte etiam dici potest, protoplastos demum per illam, quam fingit, meliorationem imaginem divinam adipisci debuisse, revera autem eam adeptos non fuisse, dum actu ipso in imagine divina ad similitudinem Dei creatos fuisse, disertis verbis *Gen. I. 26. 27.* commemoratur? Notamus quoque, *Autorem* per verba: daß Gott den Menschen bey der geschenckten hohen Freyheit auch zugleich die Erlaubnuß zu sündigen gegeben, welches ja unmöglich anders habe seyn können: ἀνορολογίαν (ne quid pejus dicamus) committere & adhibere, qua nec indoctissimus Theologorum unquam peccare ausus esset. Denique credibile est, si hæc controversia de origine mali per Autores adversario similes, & simili ratione, continuata fuerit, tandem Atheos quoque surrecturos in hoc theatro, dicturosque ridendo & per clausulam: Quid disputatis, o stulti, per tot ambages? Brevissima ad amputandam totam hanc controversiam via est, negare vestram de Deo & providentia illius fabulam, vestrasque de virtute & vitio, de via salutis & damnationis, chimæras. Credite in posterum nobiscum, peccatum nihil esse, nihil esse, quod inde sibi quis

C 2 metuat.

metuat. Sic tota lis omnium compendiosissime decisa est, & omnia dubia vestra umbræ instar evanescent. Sed hic subsistimus.

§. 5.

**M**agna nostra ætate de indifferentismo in religione dogmatico fama & quæstio est: cum vero is nonnunquam vocetur pius, h. e. in prætextu pietatis fundatus, vel etiam fanaticus, quousque falso spirituales prætendit rationes, quid hoc rei sit? & quænam in hac parte causæ concurrant momenta? seria disquisitione omnino dignum est.

\* Indifferentismi religionum nomine in genere venit contemptus & negligentia momenti dogmatum fidei, sive theoretica, sive practica, in ordine ad salutem, & communionem Ecclesiasticam. Qui ex principio Atheismi vel Deismi hic errant, apud eos tota religio Christiana, imo revelata in universum, nulla est. Cum his non de indifferentismo, sed de Atheismo vel Deismo, est disputandum, quando de eorum mente constat. Hæc vero si sit incognita, saltem fieri solet, ut propter hoc vitium frustra disputetur. Communior est classis ex variis rationibus valde indifferens est, sive quis hoc, sive aliud in materia religionis sentiat, teneatque, quique secundum hæc principia deinceps loquuntur & agunt pro re nata, dataque occasione. Nos vero de illo dogmatum contentu heic maxime agimus, qui pietatis prætextum habet, & quandoque homines etiam non malos sollicitat, majore vel minore gradu, uti in *Scholis* nostris *privatis* pluribus verbis nostros auditores hucusque varia occasione docuimus. Vix autem quisquam est, qui latius extenderit hoc negotium, quam JACOBUS BRILLIUS in plerisque *librorum* suorum, maxime *Via pacis* §. 169. 178. 179. 182. 183. & passim. Exercitationis gratia producemus hoc loco rationes Viri propriis ut plurimum ipsius verbis conceptas, interspersis tamen hic ibi similibus *Autorum* cogitatis. Monet sc: 1. omnes religiones in Christo unum esse. 2. omnes, qui alios judicant, ipsos esse infelices. 3. Judæum vel gentilem

gentilem a Deo factum (*von Gott gemacht*) meliorem esse Christiano gloriabundo, qui seipsum fecit. 4. omnes religiones bonas esse in Deo, nullam autem esse in seipsa salvificam. 5. non majorem reperiri differentiam inter religiones omnes, quam in litera Scripturæ. 6. externam religionem crepundiorum loco esse. & 7. nihil nisi imagines. 8. licet id multis paradoxum videatur, vere tamen dici posse, quod omnes populi, Judæi, Turcæ, gentiles, Christiani inter se divisi revera unum sint, & una pars æque bona, ac altera. 9. omnes controversias per se concidere. 10. easdem per refutationes tantummodo augeri & confirmari. 11. ipsis etiam erroribus Deum nonnunquam uti ad scopum suum, æque ac ideis veris. 12. nihil esse religioni essentiali, quam quod est necessarium ad sanctitatem cordis & vitæ, reliqua omnia pertinere ad media indifferentia & variabilia. 13. posse errorem esse in ideis, & lumen veritatis in corde. 14. veram fidem esse implicitam & generalem. 15. super Deo non posse controversi, utpote in sensus nostros haud incurrente. &c. Unde jam patet, totum genus humanum involvi huic indifferentiæ, non solas sectas, ut loquuntur, confessionis Christianæ: externam in hoc rerum genere diversitatem valde deprimi: literam revelationis divinæ, & quævis externa religionis, si vel a Deo ipso præcepta fuerint, plane non curari tanquam meras imagines: omnem maxime consensum vel dissensum dogmaticum enormi ratione contemni, quæ omnia indifferentissimi religionum nomine venire solent. Pleraque harum objectionum in *Orat. nostra Acad. III. de Indifferentismo religionum p. 355. seqq.* jam solutæ sunt, & posita ibi extant hujusmodi principia, ex quibus de singulis potest solide judicari, bonumque a malo, & a vili pretiosum separari; quod postremum ideo moneo, quia revera in istis objectionibus magna sæpe est veri & falsi mixtura, quæ imperitos & simplices fallere potest, si non ad omnia recte circumspiciunt, & quævis boni specie se capi & inescari patiuntur. Si quis in compendio & brevi conspectu habere velit momenta huic speciei indifferentissimi contraria, cogitet 1. si Turcæ, gentiles, Judæi &c. essentiam religionis possident sufficientem, omnes autem doctrinæ externæ nil sunt nisi diversæ imagines, promulgationem Evangelii & religionis Christianæ per Apostolos in toto

mundo fuisse valde superfluum. 2. Omnino etiam literam, seu doctrinam externam, veritatis revelatæ diligenter custodiendam esse in Ecclesia, & cum hac ut plurimum perire etiam interna religionis, teste experientia. 3. dissentium hic esse in rebus & articulis longe gravissimis, quos tantopere extenuare mera ignorantia & temeritas est. 4. non licere salva conscientia vel exiguis errores voluntarie tenere. 5. ex hoc indifferentissimo in speciem pio eosdem non raro sequi effectus, quoad summam rei, qui oriuntur ex indifferentismo Libertinico. 6. capi non posse, quomodo religiones omnes unum fieri possint in Deo & Christo, quamdiu tantis erroribus & vitiis inde propullulantibus scatent. 7. tolli omnem subordinationem divinam externi & interni in religione per hoc principium. 8. confundi in contrariis in speciem phanomenis tolerantiam Dei cum approbatione, & committi infinitas causæ non causæ fallacias in haud paucis casibus. 9. Multos, qui ab initio indifferentissimum pium prætexebant, sensim sensimque delapsos in indifferentissimum Libertinicum. 10. Inprimis notorie absurdum esse, Judæos, Turcas, gentiles, quod lumini interno obediant, Christianos vocare: id enim ad solum Salvatorem in Evangelio revelatum pertinet, & privilegium est Ecclesiæ, cui hæc revelatio facta est. Denique *undecimo*, non manere hunc indifferentissimum in terminis qualiscunque opinionis speculativæ, sed latere sub eo quæsitissima principia pragmatica ad conclusiones longissime protensas, & fines conquestorios in materia religionis amplissimos, ad summam hujus perniciem tandem emerguros, ut extantia jam specimina satis superque ostendunt. Si pluribus opus sit responsis, ea ad colloquium publicum servamus,

§. 6.

**S**ummus est impudentiæ gradus, quando homines Scripturam S. alias contentissime habentes, quasi ad hominem disputaturi (serio enim id agere non possunt) consensum postulant Scripturæ cum suo Systemate, & nihil doceri aliud prætendunt, quam quod Christus & Apostoli ejus docuerunt. Hac parte omnes alios superavit



ravit *Præfator Operum* SPINOSÆ posthumorum manifestæ imposturæ & voluntatis fallendi reus.

\* Non jam solliciti erimus de nomine hujus Præfatoris, quem LUDOVICUM tamen MAYERUM, Medicum Amstelodamensem, fuisse, vulgata est inter eruditos traditio. Videamus potius aperte profidentem, quod Spinosæ nulla in re a doctrina Christi & Apostolorum discrepet. Quando is docet suo more de cognitione Dei intellectuâli, pura, & adæquata per rationem, quam opponit autoritate, vel externo testimonio, ipsius etiam revelationis, nitenti cognitioni, hoc idem esse dicitur cum eo, quod in Scriptura, regeneratio, illuminatio, sapientia, veritas & cognitio salutaris in excellentissimis testimoniis nominatur. Scripturam hoc modo intelligere, est, non tantum litera, sed & Spiritu, seu ratione duci. Dicitur hoc Novum Fœdus esse, a Deo per Christum institutum, quod Deus suas leges mentibus hominum inscribat h. e. efficiat, ut istarum legum sensum intelligant, & hujus fœderis ministri non ducantur per literam, seu Scripturam, sed per Spiritum, h. e. per intellectum: hincque concluditur, manifestum igitur esse, doctrinam Spinosæ cum fundamentis Scripturæ concordare. Idem voluit secundum Præfatorem Salvator, dum dixit Pilato, se ad hoc venisse, ut testaretur de veritate, sive de Dei ratione & intellectu, quæ Ratio simul est lumen intellectuâle hominum. Cum notissimum sit, quid SPINOSA per cognitionem suam intellectualem intelligat, adducto tamen ex Apostoli testimonio Ephes. IV. 11-15. auctacter ait Præfator, negari non posse, quod Apostolus doceat, Christum dedisse Apostolos, Prophetas &c. in eum finem, ut nos omnes cognosceremus, quemadmodum Christus cognovit, quin ut ad magnam scientiæ Christi mensuram perveniamus. Quis dubitet, inquit, eorum laborem, opusque ministerii eo spectasse, ut homines tanta scientiâ imbuerent? Quis denique renuat per eam scientiam (non Evangelii de Christo & veritatum in eo revelatarum, sed per speculationem rationis) ejusve acquisitionem Sanctorum perfectionem effici, & ita Christi corpus edificari? Pulcherrima de fide dicta salvifica, quæ magno numero adducuntur, omnia & singula in spiritualem illam, quam vocat, seu meram intellectualem resolvuntur cognitionem, de qua paulo post his verbis loquitur: *Quæ lex & Propheta testantur, & sine lege & Scriptura manifestantur,*

stantur, ea proprie sunt, qua non nisi Spiritu sive puro intellectu intelliguntur. Hujus generis sunt v. g. Dei λόγος, h. e. sapientia, veritas, ratio, iustitia, generatim rerum essentia. Nam quoniam S. Scriptura de iis testatur, & ex Sacra Scriptura testimonio cognosci nequeunt, præter externum Scripturæ insuper revelatio (loquor cum Scriptura) vel internum Spiritus testimonium requiritur (quo tamen nomine is per affectatam sophisticationem nil nisi Rationis dictata intelligit.) Detestabilis etiam lusus in seqq. verbis deprehenditur: Hæc sola, inquit, ratio fuit, quod, postquam F. C. & discipulis & Judæis omnem Patris sui voluntatem aperuisset externis verbis, iis præterea dicat, quod nemo ad se possit venire, nisi ei a Patre datum fuerit. Job. VI 65. Quod necesse sit, ut a Deo audiverint atque didicerint. ibid. v. 44. seqq. quod Spiritus veritatis, ubi venisset, eos omnia sit docturus & in omnem veritatem ducturus Job. XIV. XV. . . quod Ephesius & Colossensibus, postquam iis tam scriptis, quam verbis omne Dei consilium annuntiasset, ut nihil subtraheret. Act. XX. 17. seqq. adhuc precatur, ut Deus ipsis det Spiritum gratia & revelationis, & illuminatos oculos mentis, utque impleantur cognitione voluntatis Dei in omni sapientia &c. Ephes. I. 16. 17. Col. I. 9. 10. Ista omnia dum ad solam rationem trahuntur, & ad miseram illam cognitionem, quam SPINOSA inde in suo Systemate collegit, applicantur, parum certe absunt a blasphemia detorsione Scripturarum, a qua SPINOZÆ ejusque affectæ eo facilius potuissent sibi temperare, quo certius constat, esse inter fundamentales illorum hypothesen, quod non Scriptura, sed ratio veræ cognitionis & Sapientiæ Magistra sit, eosque multis veritatibus Scripturæ claris & fundamentalibus, fretos hoc præsidio, in os contradicere. Mirum quoque videri possit, de hujus hominis cum principii religionis Christianæ conciliatione tanto unquam laboratum fuisse opere, in cujus receptione ad Ecclesiam Christiani nominis tam leviter & perfunctorie actum est, ut, quod vel ex una JOH. COLERI historia, quam de Vita SPINOZÆ scripsit, clarissime potest intelligi, de ipsius baptismo nullum inveniri possit vestigium, imo dubitaverint nonnulli, an ille unquam religionem Christianam sit professus? Non potest igitur fallacissimus hic schematismus ad alios fontes revocari, quam quos non ita pridem longe candidior Libertinus, utut in ceteris haud melior, indicavit, dum scripsit: *Autrefois il étoit a la verité fort dangereux d'attaquer*  
*au*

aussi brusquement la religion, comme vous faites, Mes Freres. HOBES & SPINOSA, comme vous savez, furent obligez d'ecrire avec beaucoup de circonspection, & dans un sens si obscur, que bien de personnes n'ont jamais pu comprendre le dessein, que ces Auteurs ont eu en composant le Leviathan & le Tractatus Theologico Politicus. Mais graces aux genies entreprenans de ce siecle nous avons vu la religion ouvertement assiegee de toutes parts &c, Vid. l' Histoire de la profession Sacerdotale ancienne & moderne Ch. VIII. p. 285. seq. Hæc si vera sunt (vera autem esse, non dubito) omnem illam scenam conciliatoriam SPINOZÆ cum Scripturis, ad hominem tantum, & in ludibrium Scripturæ instructam esse oportet.

## §. 7.

**D**u est, ex quo Ecclesiæ Christiani nominis Systemate religionis diversæ erga se invicem versantur in contradictoriis. Quod una affirmavit olim, adhuc hodie affirmat: quod negavit, negat. Probationes doctrinarum & responsiones ad objectiones, quoad summam rei, eadem sunt in hunc usque diem. Neutra pars alteri sponte sua cedit. Omnes prætendunt veritatem. Frustra sunt quoad summam rei omnes conatus se mutuo docendi, refutandi, convincendique. Quæritur, quænam hominis sapientis & probi de hoc casu debeat esse sententia?

\* Si recte rem teneo, in foro humano partes litigantes tunc versari dicuntur in contradictoriis, cum in factis (principalibus maxime, quæ ad summam rei pertinent) actor aliquid affirmat, pertinaciter autem negat reus, ita ut defectu probationis sufficientis, confessionis ad minimum necessariæ, iudex vix habeat, unde iudicet, & valituram ferat sententiam, eamque hac de causa non raro prorsus suspendere, litemque indecisam relinquere cogatur. Similis prope est status controversiarum de religione, quæ agitantur inter Christianos, similes sunt, in suo tamen genere, causæ, & similes omnino effectus. Fundamenta iudicii  
D fani

fani solidique de hoc statu religionis, ejusque phaenomenis haec esse arbitror: Non posse magnis vitiis carere hanc Ecclesiasticarum societatum in errore perseverantiam, cum fieri non possit, ut in his contradictoriis omnes teneant veritatem, hujus autem agnoscendae impedimenta, tam contumacia & diuturna, sive manifesta sint, sive occulta, coram Deo bona & innocentia esse nequeant: Eo minus posse culpa vacare haec impedimenta durantia & crescentia, si ex conflictu partium accesserit solida eorum commonstratio, & mala deinceps voluntas eadem non parum augeat & confirmet: Esse indicium notorie malum mali serpentis, quod hucusque Christiani dissidentes semper lubentius in vitiis, quam virtutibus, in eo potius, quod malum, quam quod bonum, habent, se invicem imitentur, seseque mutuo inficiant & corrumpant: In his contradictoriis maxime nullum esse Judicem humanum, qui partem alteram invitam, non convictam & protestantem de innocentia sua, ac Deo judici se submittentem, ad confessionem erroris & culpae per vim solam, & auctoritatem absolutam cogere liceat, neque judicem hac auctoritate praeditum a DEO esse in Ecclesia constitutum, quicquid etiam Societas Ecclesiastica potentior inter Christianos de hoc jure pretendat fingatque: Ecclesiasticas Societates intuitu hujus mali inter ipsas grassantis, quod nemo negare potest, incitari debere, si facere velint officium suum, ut, cum atros hos pedes suos adspiciunt, malint pennas suas demittere instar pavonum earum prius pulchritudine superbientium, quam in tristi hoc statu sibi placere, & triumphare: Esse rem molestam & tristem in controversiis de religione perpetuos illos coccyfos. & petitiones principii inevitabiles, & negationes conclusionum illegitimas, sive veras, sive imaginarias, quae ex eo statu non possunt non consequi: Si integræ Ecclesiae nolint ad veritates, quas non habent, revocari, privatis saltem membris integrum jus esse eas investigandi, amplectendique, per vias extra controversiam bonas, a Deo praescriptas, & licitas: Quamdiu Ecclesiae in carne & ventre conspirant, & de scandalis sibi mutuo dandis secum certant invicem, tam diu nullam spem apparere, ut divinam vim alias atque alias societates ad se laudabiliter alliciendi ostendere,

dere, & cum fructu optato exferere queant: Hunc interim statum Ecclesiarum subiacere magnis Dei iudiciis, maxima parte vel plane ignotis, vel confuse saltem agnitis, vel manifestis quidem, sed contemtis; sed & incredibili subiacere longanimitati & patientiæ Dei; utrinque venerandis timendisque, cum affectu summo, & humiliatione sincera: Ecclesias denique, apud quas veritas, & cognitio veritatis, prævalet præ aliis, in media hac confusione teneri ad custodiam eo diligentiore veritatis, & habere causas cavendi, ne vel per negligentiam suam eam amittant, vel peccatis suis iram Dei provocent, vel, cum lux in candelabro posita esse debeant ad aliis prælucendum, intra sua mœnia & extra blasphemare faciant apud alios nomen Domini, ut dici possit de illis, quod olim de Israëlitico populo dixerunt gentes: *Num populus Dei hic? & de terra tamen ejus exiverunt. Ezech. XXXVI. 20.* Plura jam addere non licet.

C O R O L L A R I A.

I.

**E**st specimen abusus scientificæ demonstrationis valde odiosum apud SPINOSAM, quando is *Opp. Posth. p. 217. seqq.* tradit. *Propos. L XVII. Homo liber de nulla re minus, quam de morte, cogitat, & ejus sapientia non mortis, sed vitæ, meditatio est. Demonstratio. Homo liber, h. e. qui solo ex rationis dictamine vivit, mortis metu non ducitur (per Propos. LXIII) sed bonum directe cupit. (per Coroll. hujus propos.) h. e. (per Prop. XXIV.) agere, vivere, suum esse conservare ex fundamento proprium utile querendi; atque adeo nihil minus, quam de morte cogitat, sed ejus sapientia est vitæ meditatio. Q. E. D.* Apertum est, meras esse sophisticationes, quæ hic pro demonstrationibus venditantur. Scripturæ S. præceptis e diametro hæc adversari, ex omnibus illis locis manifestum est, ubi homines tam sollicitè ac sæpe ad meditationem mortis adducuntur.

2.

Magnus quidam Vir servanda in fide tenacissimus latronibus aliquando se in media urbe invadentibus magnam pecuniæ summam promisit

D 2

promisit ad redimendum anulum pretiosum, quem gestabat: & cum altero die eorum aliquis ab ipso, magna turba adstante, insurratis in aurem verbis de fide præstanda admonito, pecuniam illam repeteret, mox eam ipsi dari curavit, nec tamen prius adstantibus, quid hoc rei fuisset? aperuit, quam ille latro longum satis intervallum impetrasset ad plenam securitatem se recipiendi. Quæritur, annon in hoc facto privata gloria salutis publicæ fuerit præposita? & an hoc facere liceat? V. *la Vie du VC. de T. T. II, p. 167. seq.*

3.

Illustri Profelyto nostri temporis ante publicam Mahomedanæ religionis professionem a cordato quodam *Viro* per literas admodum patheticas inter alia argumenta dehortatoria proponebatur: *si se a Christianis injuria affectum crederet, Christum tamen ipsum non lasisse &c.* Cum vero idem fateatur, se ad hoc nihil tunc ausum esse respondere, idque unum obvertat; *je-tois trop avancé pour reculer*: quam tristis ex his præmissis sequatur conclusio, per se manifestum est. V. *Mém. du C. de B. T. III. p. 38. seqq.*

4.

Sententiam crassam, quod homo peccator per vires liberi arbitrii naturalis possit resipiscere, Deum amare, in Deum credere, mandata Dei servare &c. hoc solo velare tegumento, quod ne sic quidem hæc omnia ad justitiam & salutem impetrandam absque gratia sufficiant, periculosum, & fovendis religionis Deistica seu Naturalismi principiis admodum idoneum est.

5.

Qui nostro seculo credulitatem in rebus religionis per contrarios excessus incredulitatis dogmaticæ, historicæ, criticæ &c. sanare conantur, non modo lutum luto purgant, sed etiam eo utuntur medio, quod in plerisque hominibus contrarium per *αὐτοεπίστασιν* nanciscitur effectum medicinæ tam violentæ nequaquam patientibus, atque inter duo mala minus se eligere malle prætendentibus.

6.

Quando Dn. JESUS *Joh. X. 26.* ad Judæos dixit: *Vos non creditis, non enim estis ex ovis meis*: id procul dubio ipsorum judicio nihil

nihil fuit aliud, quam pura puta petitio principii, h. e. argumentatio ex hujusmodi sententia, quam illi pro nondum probata habebant; & tamen reipsa fuit longe verissimum. Eadem erat ratio alterius dicti: *Qui ex Deo est, verba Dei audit: propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis. Job. IIX. 47.*

7.

Quomocunque phrasis explicetur, indignissimum est, Salvatori nostro *peccatum originis* tribuere. Quid enim alias opus fuisset, ut Spiritus S. ejus conceptioni tam singulari ratione interveniret? *Luc. I. 35.* Discrimen vero inter *peccatum habere*, & *peccatum facere*, quod *1. Job. I. 8.* fundatur, vulgaribus quidem hominibus competit, sed ad Christum Dominum non nisi cum summo scandalo potest applicari.

8.

Non est necesse, teneræ juventuti hoc sine reticere doctrinam Scripturæ de bonis & malis Angelis, ne nimis cito terriculamentis & spectris credendis metuendisque se adsuefaciat, quod nonnullorum in dandis educationis præceptis consilium fuit. In hujusmodi autem institutione sapienter, non aniliter, esse procedendum, facile conceditur.

9.

*Omne voluntarium esse liberum*, etiam ex nostris BALTH. MEISNERUS in *Anthropolog. Sacr. Disp. XXI. Q. IIX. §. 68. 69.* docuit, addens, *quicquid vult voluntas, hoc eam libere velle, & quæ agit, libere agere.* Non esse autem hanc ordinariam apud Nostros docendi formam, ex eorum consuetis adversus Reformatos plerosque de natura libertatis disputationibus manifestum est. Neque rationibus MEISNERI probantibus necessarium pondus inest.

10.

Recte & prudenter doceri potest, hominem primum a mortalitate propinqua, & morte ipsa, variis modis fuisse liberum: a causis mortis internis per Paradisiacam corporis constitutionem: a decremento partium decedentium per usum arboris vitæ, & ciborum reliquorum ipsi assignatorum: a casibus adversis per divi-

D 3

nam

nam certamque providentiam : ab impressione corporum circumstantium adversaria per cœlestem ac divinam crasin totius naturæ Paradisiacæ : ab ipsa denique diurnitate, si quæ unquam locum habuisset in hac vita, per gloriosam assumptionem in statum cœlestem, & nunquam mutandum. Hæc certa sunt, & ab omnibus facile admittenda, atque ad præscindendas controversias inutiles accommodatissima.

## II.

Qui corpus gloriosum Adamo integro tribuunt, optimam brevissimamque rationem reddere possent hujus quæstionis, si ea sententia pro se haberet Scripturæ S. testimonium, uti sane non habet.

## 12.

Datur Logica in certis quibusdam Christianorum partibus, quæ privilegium habet conclusionem possidendi semper certam & infallibilem, quamvis fateantur illi, qui eam *Adepi* sunt, posse se circa præmissas in ipsis quoque Conciliorum congregationibus falli, si-ve, quod idem est, fieri posse, ut argumenta, quibus hujusmodi probatur conclusio, non sit certa & solida. Felix esset Ecclesia, quæ tali privilegio vere frueretur : sed infelicissima est, quando id privilegium fallum est atque imaginarium.

## 13.

Qualis hæc est in re religionis comœdia, cum publicæ & authenticæ prostant confessiones, quod magni illi motus certæ cujusdam periodi in materia C. Unigenitus, modo huic contrarii, modo favorabiles, in certis locis nullam aliam causam, præter rationes Status personales, habuerint, quibus cum salute animarum, ex ipsa quoque utentium illis intentione, major nexus non erat, quam cum hominibus ultra glaciale Oceanum viventibus ? Vid. *la Vie du D. D. O. T. II. p. 153. seqq.*

## 14.

Est inepta eruditio, quæ tota est historica, & in servili tantum consistit imitatione, sine judicio & *avancie*. Etiam hoc loco valet, quod Jesuita BLASIIUS GIBERT in materia eloquentiæ sacræ fieri  
pro-



pronuntiavit, que cette espece d'imitation basse & servile ne fit jamais que de tres mauvaises copies des plus excellens originaux. *Tr. de l'Eloquence Chretienne p. 188.* Sed non minus inepta est eruditio, quæ solipsimum exercet, & sibi soli in tanta donorum utilissimorum copia sufficere affectat,

15.

Characterem reprobationis in fronte gerunt, qui in tanta luce Scripturarum, seu divinæ revelationis, nostra ætate Adæmonifinum, sive abnegationem præsentia & operationis hostilis malorum Spirituum in hoc mundo, fovere, confirmare, &, maxime cum insultatione & ferocia, defendere audent.

16.

Illis, qui nos propter doctrinam de imputatione justitiæ Christi vocant *extrinsecarios*, vehementer placet excogitare vocabula hæretica ea in causâ, in qua nonnisi contra larvas a se ipsis fabricatas pugnare solent.

17.

In loco *Rom. III. 28.* non est quærendum: an solam fidem Paulus justificare doceat? Id enim certum est. Sed huc redit quæstio, quid per solam illam fidem intelligi debeat? quod propter vitiligatores, non Catholicos solum, sed & alios diligenter est observandum.

18.

Legimus in Historia invasionis regni Mexicani per Hispanos, horum manipulum cum Duce suo aliquando in templum Mexicanum ab Imp. *Moteczuma* introductum crucifixi Domini signum ligneum importunis verbis petiisse in illo erigi: hunc vero respondisse ab initio: *Vous pourriez accorder a ce lieu l'attention, que vous etes obligez d'avoir pour ma personne: deinde egressum e templo, ut ipsos pariter e templo commode deduceret, porro dixisse: Mes amis, vous n'avez maintenant, qu' a retourner en votre quartier: car je veux demeurer ici, afin de demander pardon a mes Dieux de l' excès de ma patience.* V. P. *Hist. de la Conquete de Mexico par Solis T. I. p. 445. seq.* Queritur, quid, ceteris paribus, magis in hoc factò admirari liceat, Hispanorum ne ferociam in postulando, an vero *Moteczumæ* ratio-

rationes agendi politicissimas ex sinu sui juris atque Systematis depromptas & astimatas?

19.

Multa in Commentariis de occupatione Americae per Hispanos referuntur de praedicto horum in illas oras adventu, & oraculis jubentibus se novis advenis etiam melioris causa religionis submittere. At, praeterquam quod & aliae rationes suspenso gradu hinc incedere suadent, forte facilius ista credi possent, si Deus alios, quam Hispanos istos, ad eos misisset Apostolos. Horum enim praedixisse missionem, vix credibile est.

20.

Ultimus Mexicanorum Imperator *Moteczuma* loco horti voluptuarii hortum instrui curavit Medicum tam vasti spatii, ut civibus omnibus patuerit suffeceritque ad herbas medicas inde petendas, quibus aegrotantes restituerentur. *V. l. c. 7. I. p. 462.* Hac parte habent etiam Christiani Principes & Magistratus, quod imitentur.

21.

An & quousque verba virginum prudentum ad virgines fatuas *Matth XXV. 8. 9. Nequaquam, ne non sufficiat nobis & vobis*: ad refellendam communicationem indulgentiarum, quales in R. Ecclesia dispensari solent, adhiberi commode queant, nec ne? disquiri permittimus.

22.

Doctrina eadem de *Indulgentiis*, quam modo in *Lectiionibus nostris publicis* tractavimus, si ulla alia, scateat meris veritatibus connexionum, hoc est, talibus doctrinis, quarum quidem una alteri confidenter superstruitur, sed in ipso fundamento & principio ita aberrant omnes, ut vix aliud simile exemplum ostendi possit.



ED-Bez. 2002

01 A 6729

Retra

Mi. 46







t. 9

VARIA SACRA,  
*SEU*  
DOCTRINÆ  
DIVERSI GENERIS,  
*QUAS*  
DEO JUVANTE,  
*PRÆSIDE*  
CHRISTIANO EBERHARDO  
WEISMANNO,  
SS. THEOLOGIÆ DOCT. ET PROF. ORDIN.  
ECCLESIAE TUB. DECANO, ET DUCALIS  
SEMINARII SUPERATTENDENTE,

*Ad D. Mensis Mart. A. R. S. MDCCXXXVIII.*


PUBLICE VENTILANDAS PROPONENT

*RESPONDENTES*

M. WILHELMUS FRIDERICUS SPÆTH, *Schiltacensis.*

M. JACOBUS GEORGIUS THILL, *Brackenheimensis.*

SS. Theol. Studiosi & Seren. Stipendiarii.



TUBINGÆ,

LITERIS JOSEPHI SIGMUNDI.

